# Quaestio medica Quodlibetariis disput. agit.da In Scholis Medicorum die Jovis 21 Januarii M. Francisco Brigard M. R. Moderatore.



## An Sanitatis et Morbi Eadem notae?

Sanitas temperamenti conformationis unionis solutae prima actionis causa Medicinae finis una est totius corporis et partium singularum in mediocritate consistens. Sua tamen cuique corpori et parti (quibus mutua conspiratio, et confluxio) tam varia quae diversa est à calidi frigidi, humidi, sicci mixtione temperies et temperaturae à quibus alia firma et humidum, et quotidianis laboribus assuetorum, alia fluxa et puerorum, senum, athletarum. partium autem ab excrementis vacuarum constans, mittentium vero aut suscipientium lubrica.

Morbus contraria sanitati diathesis labefactatas actionis causa corporis et partis cuiusque, multiplex non humoribus aut spiritibus, sed solidae parti (cui omnis actio tribuitur) insidens, eo contumacior quo corpus infirmius, siccius, et excrementitiis (quorum proventus non ex solo caloris defectu, sed etiam excessu succorosum) impuris aut obstructionibus (quae tanto molestiores, quanto nobilioris facultatis interceptionem faciunt) impeditum obsidens. Contumacissimus qui partium principium ad sanitatem aeque necessariarum contrariam intemperiem aut morbosum sui fomitem habuerit tanto cognitu difficilior, quanto causa eius et pars affecta obscurior.

Utriusque diathesis necessaria cognitio unius ad eius per sua custodiam alterius vero ad eius per contraria tantum propulsionem, actione, et signis fere pathognomonicis paranda. Actio cuiusque partis propria, si integra est sanitatem, laesa vero morbum aut partem affectam non semper arguit. Hinc ex proba chylosi et appetentia ventriculi (cuius errorem hepar non emendat) sanitas, ut ex contraria morbus perspicitur. Cordis et arteriarum (quae ab eadem facultate simul, et eodem motu moventur) ex pulsu. Euexia et atrophia hepatis, ut sensus et motus functiones; principes (in pueris invalidas) cerebri affectus indicant.

Color floridus ex laudabili humorum permixtione proveniens nativi caloris copiam (quae ab ortu acquisita potest) et partium principum robur, sed praecipuè cordis, et hepatis, quorum unum (sed magis cordis) totum retinet, ut flavescens iecur praecalidum, nigricans imbecillum lienem, albicans caloris penuriam cachexiam λευκοφλεγματίαν cum hydropem tutissimam denotat. Hic odor respirato et perspirata cutis à diversis facultatibus eumdem tamen finem habens, suavis, gravis cutisque temperata aut calidior aut frigidior, mollior durior utramque demonstrat.

Sanitatis etiam et morbi dignotio comparantur ab excrementis quorum tot genera, quot coctionum extitere. Ac primae quidem (cuius intestina, ut secundae venae mesaraicae participes) deiectio mollis et constans, secundae urina consistentia mediocris, colore flava, hypostasis experte aut saepe participe. tertiae suavius excrementorum per cutem excretio sanum corpus; contraria vero morbosum significat. Sic et sanguinis consueta evacuationes, vomitiones, sudores à morbis vindicant, suppressio vero aut immoderatio eos gignunt ista sanum aut aegrum corpus arguunt.

Ergo Sanitatis, et Morbi non eadem notae.

Proponebat Lutetiae M. Joannes Cothillon Lingonensis A. M.D.C.LXIII.

F.P. BIBLIOTHEQUE

Domini doctores disputaturi.

M. Antonius Duval.
M. Emmerius Arragon.
M. Lazarus Chenot.
M. Martinus Girard.
M. Yvo Marchant.
M. Guillelmus de Boissy.
M. Joannes le Conte Decanus.
M. Claudius Rousselet.
M. Claudius Bailly.